

IN LIBRUM JUDITH

Prolegomena.

PROLEGOMENON PRIMUM.

Inscriptio.

Quemadmodum Tobiae et Machabeorum, sic et Judith liber habet inscriptionem ex ejus, cujus gesta scribuntur, nomine, quemadmodum ait Isidorus Orig. lib. 6, c. 2, et D. Hieronymus epistolâ 140. Judith verò nominis interpretatio est, *Judaea*, id est, ut idem Isidorus ait, lib. 7, cap. 8, *laudans*, vel *conficiens Domino*: non autem Judith vocatur id est, *Judaea*, quasi ex Juda tribu fuerit, quemadmodum c. 7, nec perspicuum: sed ex Hebraea radice *iudach*, id est, laudare, gratias agere, confiteri; quemadmodum et *Judas*, laudans, vel conficiens dicitur, Gen. 29, et *Jehudi* nomen viri proprium, Jerem. 56; *Jehudiah* 1 Par. 4, v. 18; *Jehudith* uxor Esau, Gen. 29, v. 34, idemque nomen 4 Reg. c. 18, v. 26, adjectivum est, ut si *Judaea*, scilicet lingua, vel certe adverbium etiam in Hebraeo est, cum dicitur: *Non loquaris nobis Judaicè audiente populo*, rursusque v. 28: *Exclamavit voce magnâ Judaicè*.

PROLEGOMENON II.

Auctor.

Julius Rogierus opusculo de Libris Canonicis, c. 20, ait autorem fuisse quempiam, qui eo tempore vixerit. Quis verò ille fuerit, nominat ea, quae Philoni tribuitur Chronographia, lib. 2: *« Gessit, ait, Jems pontificatum primum, usque ad 12 annuum Asueri Prisci, anni 36; Joachim verò filius ejus in absentia aënis 8; et Judith gesta conscripsit, et anniversariam liberationis memoriam quotannis agendam instituit. »* Et assentitur R. Azarias loco infra citando, et Sixtus Senensis Bibliotheca, lib. 1, et lib. 8, ubi ejusdem sententia Hebraeos auctores laudat. Isidori tamen lib. illò 6, c. 2, hæc verba sunt: *Judith et Tobias, sive Machabeorum libri, quibus auctoribus scripti sunt, minimè constat, ita scilicet ut certum sit et indubium. Alioqui, quemadmodum in Tobia et Machabeis probabiliter auctores quidam profuerunt, ita*

et Joachimus ille queat admitti, de quo plura inferius, vel alius eo posterior, cum sub libri hujus finem scribat auctor, solitum victoriae, quam Judith peperit, festum diem ad eam usque tempora celebrari. Solent verò ita loqui, non qui rebus ipsis interfuerunt, sed qui post fuerunt. At Joachimus rebus istis non modo interfuit, sed et penè præfuit. Nihilominus rectè censeri auctor possit, quia hujusmodi addituncula aliis etiam libris postmodum ad junctæ inveniuntur, ut 1 Reg. 9, v. 9: *« Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite, et eamus ad videntem; »* et Genes. 15, v. 18, *Hebron* jam nominatur, cum hoc tamen nominis postea impositum sit Josue 14, v. 15. Accedit quòd, quemadmodum c. 1, quest. 1, dicitur, historiarum hujusmodi scribendarum provincia summis sacerdotibus imponebatur. Certè R. Azarias lib. 3 Meorhenaïm, c. 52, fol. 106, functus est, ait Jeschuoh (Jesus), sacerdotio suo magno annos 53, et hic scripsit gesta Judith, et decrevit fieri memoriam liberationis hujus anno quolibet, prorsus ut citatus antea Philo.

PROLEGOMENON III.

Quâ lingua primò scriptus liber hic?

Chaldaea eum lingua scriptum fuisse, satis loqui videtur D. Hieronymus epist. 111, dum eo sermone à Judæis *inter historias computatum*, et à seipso lectum latinèque conversum refert. Sebastianus Munsterus præfat. in Hebraicum Tobiam: *« Hebraicè, ait, Judith exemplar absque dubio Constantinopoli à Judæis æque ut Tobia exemplar, typis est multiplicatum: »* Sed neutro adhuc idiomate, hæc in partes; quod sciam, devenit (1). Græcè tamen

(1) Origenis ætate Hebraicum exemplar apud Judæos ferebatur; sed Hebræum hic pro Chaldaico, quod sequiori ætate pro Hebræo habitum est, facile usurpatur. Si enim Hebraicum autographum, vel saltem optimum aliquod illius exemplar ætate S. Hieronymi superfuisset, ille nec ignorasset, nec neglexisset. Cum igitur è Chaldaeo versione suam adornare coactus sit, nullum planè existitisse Judæorum lingua scriptum, dicamus oportet. D. Fabricius

men verso extat, cujus interpretem dicit lib. 1 Senensis, incertum, cum tamen cause dari nihil possit, ut in Bibliacis Prolegomenis dixi, cur 70 interpretes non sint. Nam quòd inter Latinum et Græcum textum discrimina quadam sint, id libri hujus proprium non est, ut nimirum quàm sæpè ostendit D. Hieronymus, vel exemplar illi aliud secuti sunt, vel periphrasticè certè converterunt. Se verò magis sensum è sensu, quàm ex verbo verbum transtulisse, monet loco citato D. Hieronymus, idque non ad *Paulæ et Eustochii petitionem*, ut in principio ait Historia Scholastica, sed ad episcoporum potius postulationem, Chronasti nimirum et Heliodori (1). Cum enim, ut epist. 110, inquit, eorum rogatu, Tobiam vertisset, eodem isidem penè verbis Judith versionem excessè significat epist. 41, et sub ejus finem rectè hoc illos pellicisse docet, quia Judith non feminis tantum, sed et viris imitanda est, ut infra dicitur prolegom. 5. Existare verè apud se libri ejusdem si-

Bibl. Græcæ t. 5, p. 742, 743, plurima collegit animadversione diuina in Hebraicum libri Judith, plandem demonstravit suppressè quidem libri hujus Hebraicum scriptum, sed à recentiori quodam Judæo datam. (Calmet.)

(1) Quod ad variantia veterum Latinorum exemplarum spectat, de quibus tam graviter S. Hieronymus queritur, jure illum querisatis intelligimus, si vetera MSS. Vulgatæ, ante S. Hieronymum usitata, quæ adhuc supersunt, et testimonia veterum Patrum, ex his relata, consulantur. Auctor novæ editionis S. Hieronymi exemplar nobis communicavit, satis quidem ad Græcum Romanæ editionis accedens, sed et in pluribus discrepans. Interdum proprius ad nostram Vulgatam accedens, à Græco recedit. Hoc exemplar sub nomine veteris Vulgatæ laudamus. Veteres Patres solent plerumque testimonia è Græco laudare, quantum non sine variantibus. Ita Origenes homil. 49 in Jerem. refert ex Judith: *« Prævaricationem invocabo, et invocavi prævaricationem; »* quæ verba nec in Vulgatâ, nec in Græco leguntur. S. Fulgentius epist. 2 ad Gallum, refert genealogiam Manassis viri Judithæ; de qua ne verbum quidem in Scripturâ. Sunt etiam eruditi quidam, qui dubitent, utrum Latinus textus ipsa sit S. Hieronymi versio, cum phrasibus quibusdam redundet quæ versionem potius ex Græco quàm è Chaldaeo adornatam subolet. Ita quæ leguntur capite 9, 13: *« Percuties eum ex labiis charitatis meæ; »* mendium aliquod indicare videntur ex corrupta Græcæ lectione, cum interpretès agapen legerit pro *apote*, uti adhuc in exemplaribus Græcis legitur; et olim in Syriaco legebatur. Ita pariter capite 10, 3, legitur: *« Unxit se myro (sive, ut in veteribus exemplaribus, myrra) optimo; »* quæ vox expressa est ex Græco *myron*, unguentum. In eodem etiam versiculo est *mitra*, Græcæ vox. (Calmet.)

cuit et Esther, Tobia, Deuteronomi, Syriae versionem, quæ ante annos nongentos è Græco in Origenianis Hexaplis posito textu expressa sit, testatur ad Philippum Hispania regem Epistolâ dedicatoriâ Masius in Josuam.

PROLEGOMENON IV.

Quarum libri hujus auctoritas?

Apud Judæos canonica quidem non erat, uti refert D. Augustinus lib. 18 Civit. cap. 27, et D. Hieronymus Epistolâ citatâ; magna tamen ejus erat auctoritas, et tanta quanta verissimis aliquo historiis, quæ à Spiritu sancto dictatæ nondum omnino pronuntiantur, tribui potest, adeò ut ab his inter agiographa, de quibus in Galeato Prologo, legere, licet auctoritate dispari. Hæc enim citatâ Epistolâ D. Hieronymus docet omnia: *« Apud Hebræos, inquit, liber Judith, inter agiographicæ pha legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa quæ in contentione veniunt, minis idonea judicatur, Chaldaeo tamen sermone conscriptus inter historias computatur; »*

Hanc et ipsè Hieronymus aliquando sententiam secutus est, ut in Galeato Prologo et epist. 44 ad Furiam, et in cap. 1 Aggæi; eandemque ipsi Ecclesiæ christianæ ascribit epist. 115, quæ est prælatio in Salomonis Proverbia: *« Judith, et Tobias, et Machabeorum; inquit, libros legit quidem Ecclesiæ, sed eos inter canonicas scripturas non recepit. »* Ita etiam scribunt Athanasius in Synopsi, Rufinus in Symbolum. Quid, nostro isto ævo, hæretici plerique omnes? Videbis, si quidem tuâ id nôsse interesse putes, de quibus in Bellarmini lib. 1 de Deo, cap. 10. Sed horum quidam multò longius (noscit enim eodem gradum consistere temeritas) exevit, hoc etiam unum, quod superiores concedunt, hunc libro detrahunt; omnem scilicet historicæ veritatis auctoritatem. Nam Lutherus in Symposiacis, cap. 59, audacter pronuntiat, *« historiam non esse, sed poeticam quoddam commentum Homericè et Virgilianò simile, »* ut scilicet, quemadmodum D. Chrysostomus oratione 41, et Metrodorus apud Tatianum Oratione ad Græcos, nullum fuisse Trojanum bellum, Hectora et Achilles nullum asserunt, ita nullam fuisse Judith intelligamus. Nam concludens: *« Idcirco, ait, mihi videtur Judith esse tragedia, in qua ostendatur, quem tyranni exitum sortiantur. »* Ne tamen in convivis tantum comœdiis tragediasque agere videatur Lutherus, similia repetit Germanicè præfatione in suam hujus libri ver-

sionem, nisi quòd, pro Homero et Virgilio, parabolas evangelicas, *Cantica canticorum* et *Joannis Apocalypsis* nominat, et addit, « videresibi hoc ipsum voluisse poeta ininvenere, cum data operà, et temporum et nominum errora inseruit, ut lectorem admoneret pro sacro quodam spiritali commento habenda omnia. » Sic eandem rejicit historiam Lutheranus ille Reineccius tom. 2, fol. 15, et *tragicomediam* indigitat, fol. 7. Atque hi illi sunt de quibus in Onomastico suo Chytræus: « Alii, ait, eruditi (impios et audaces dicere debuit) existimant librum Judith tragicomediam esse, ab aliquo pio et ingenioso homine propositam, quæ doceret, duriter quidem affligi Ecclesiam Dei, et in extremas angustias redigi; sed tamen mirabiliter contra tyrannorum furores defendi et servari (1). »

(1) Grotius totum quod libro Judith narratur, meram parabolas esse docet, ac Judith esse Judaicam gentem, Bethuliam esse templum Dei, Judithæ gladium esse preces sanctorum, Nabuchodonosorem diabolum significare, Assyriam fastum; Holofernem idem sonare quod *factorem serpentis*. Vidam finem Juditham, ut Jucea omni auxilio destituta exprimat. Joachinum, sive Eliakimum *Deum resurrectorem* significare, quæ spes cum homines Deo conjungat, idè sacerdoti summo id nominis tribuit. Verùm allegorica illa nomina interpretatio veritatem historiam non destruit. Origenes enim et alii Patres ac interpretes Scripturæ sacræ plurimi, et nomina et sententias ipsas allegorice sunt interpretati in iis etiam libris, in quibus res gestas, non meras parabolas narrari nemo diliteret.

Grotio alisque heterodoxis, qui historiam Judith poeticum figmentum et tragicomediam appellare non verentur, Josephi silentium non favet. Cum enim sibi proposuisset ea tantum in suis Antiquitatibus referre, quæ in libris canonicis Hebræorum habebantur, ut ipse quidem profertur in Prognosis, totum operis, et libro 10, capite 11, mirum non est quòd de Judithæ historia siluerit, cum liber Judith in Canonem Hebræorum, obviatum priusquam scriberetur, receptus non fuisset, nec Hebraicè scriptus esset.

Nullus etiam ponderis est argumentum quod petitur ex festo annuo in memoriam heroiçi facinoris Judithæ, et victoriæ de Holoferne et Assyris reportatæ, cujus nulla in Hebræorum libris mentio exstat. Potuit enim successione temporis abrogari, si verè institutum est. Quod in dubium revocari nolim, cum id doceat vulgata editio Latina ex Chaldaico textu à S. Hieronymo expressa, quamvis in Græcâ interpretatione postremus ille versus ultimi capitis non habeatur, qui festivitatis hujuscæ ab Hebræis in perpetuum tam celebratis victoriæ monumentum instituta meminit: *Dies autem victoriæ hujus festivitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, et collitur à Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem.* Lævis etiam est quæ ex Græcâ locutione

Dico tamen canonicam libri hujus auctoritatem esse primò, quia hunc librum tanquam divinum citat S. Jacobus Epist. cap. 2, v. 25, prout infra. cap. 8, exponam. Secundo, eundem Synodus Nicæna in numero sanctorum Scripturarum legitur computasse. His enim ipsis verbis, quibus usus sum, utitur D. Hieronymus epist. 111 (1).

1º Defenditur Nicæni de hoc libro, concilii auctoritas.

Calvinianus Wittakerus cap. 2 controversiebus formatur objecto, scilicet capite 9, 2, ubi legitur in Græco: *Qui solerunt uterum virginis ad pollutionem*, et capite 16, 8, ubi Titimus filii commemorantur. Ex quibus Grotius colligit, auctorem libri Judith scriptores Græcos legisse. Lævis inquam, hæc objectio est, cum hujusmodi locutiones interpretibus tribuendæ sint, non libri auctori. Sic in libro Job, Pleiadi, Hyadam, Orionis, Arcturi et Amaltheæ nomina, Græcæ certè originis, et Proverbiorum 8: *Aceruus Mercurii*, et Alexandriæ nomen in prophetis Jeremie, Ezechielis et Nahum secundum editionem vulgatam, cum tamen longo post hos prophetas tempore Alexandria condita sit, interpretibus, non auctoribus istorum librorum transcribuntur.

Antilogiam fortè quis objiciet in Judithæ genealogiâ, quæ dicitur *filia Merari, filii Loe, filii Joseph, filii Osea, filii Eli, filii Jannoi, filii Gedeon, filii Ransaim, filii Achitob, filii Melchior, filii Eran, filii Nathaniae, filii Salathiel, filii Simeon, filii Ruben*. Nam ex tribu Ruben et Simeon progenita esse Juditha non potuit. Præterea, sexdecim tantum generationes hic recensentur, cum tamen à Jacob Israelitarum communi parente ad captivitatem Babyloniarum viginti sex numeret S. Mattheus.

Respondetur, non omnes Judithæ proavos hic recenseri, ut nec omnes Eleanc 1 Regum cap. 1, vers. 4, nec Saulis cap. 9, vers. 4. Satis enim fuit sacris historicis istorum genealogiam ad virum aliquem illustrem referre velut stirpis auctorem, Ruben autem ille in Judithæ genealogiâ recensitus, non est Ruben patriarcha, filius Jacob primogenitus, (hunc enim filius nullus fuit, cui nomen fuerit Simeoni,) sed vir aliquis illustris ex tribu Simeonis, quem sui generis auctorem agnoscit Juditha cap. 9, 2, ita Demm invocans: *Domine Deus patriæ mei Simeon*. Denique in Græco textu nulla mentio Rubenis est, sed ejus loco habetur *ὁ πατήρ*, Filii Israel, quam lectionem approbat S. Fulgentius epistolâ 2.

(Natalis Alexander.)
(4) Ecclesia in concilio Tridentino congregata, sessione 4, librum Judith in sacrorum librorum indice recensuit, omnibusque libris canonicis, quorum ille unus est, singillatim recensitis, subdit: « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgatâ Latinâ editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit.... anathema sit. » (Natalis Alexander.)

1, q. 4, gravissimum gravissimæ synodi testimonium, multifariam elevari nititur. I. « Gravi, ait, admodum præjudicio, quos prætermissis libris perstrinxisset synodus, verbi gratiâ, Tobiam. » II. « Ubi legatur hoc, non narrat Hieronymus. » — III. « Synodus Laodicæna, quæ paulò post Nicænam habita est, non reliquisset hunc librum in apocryphis, si eum synodus Nicæna canonicum esse statuisset. » IV. — « Erasmus rectè annotavit (in præfationis scilicet hujus censurâ) ab Hieronymo non affirmari, approbatum hunc in synodo Nicæna librum, sed tantum dicere: *Legitur computasse.* » V. — « Non idem est, esse canonicam Scripturam, et computari in numero sacrarum Scripturarum. Computantur enim in numero Scripturarum, quæ cum sacris Scripturis leguntur ad edificationem plebis, etiam si non ad dogmatum confirmationem. »

Sunt tamen multò hæc omnia infirmiora, quàm ut tantam nobis auctoritatem extorqueat, vel nullâ etiam nubeculâ obscurare debeant. Nam ad primum dico non omnia, quæ controversæ esse possunt, uno in concilio definiti, sed tantum quæ tunc proponuntur, et necessariâ videntur. Multum interest an quidam damnes, ane verbo quidem attingas, et tamen etiam Tobiam eâ in synodo approbatum fuisse docuit Rupertus lib. 12 de divin. Offic. cap. 23, uti proleg. 5 in Tobiam notavi. Ad secundum dico, non narrasse S. Hieronymum, ubi legeretur, quia in ipsâmet synodo legebatur, licet jam non legatur, uti tomo 3 illustrissimus Baronius ostendit. Ad tertium, vel ex hoc uno loco, et rationibus aliis, in tom 4 appendice idem Baronius colligendum ostendit, ante Nicænam concilium fuisse Laodicenam synodum. Ad quartum, parvi apud doctos gravesque homines ponderis est Erasmi temeritas, et ei vel solus ipsius amicus, quem Præfatione in S. Augustinum vocat *apprimè doctum*, opponi potest. Ludovteus Vives. Scribit enim iste in 18 lib. Civit. cap. 26, hisce verbis: « S. Nicænus conventus inter sacrarum Scripturarum volumina, et hunc librum Judith computavit. » Alioquin, et multò quidem plausibilius, ex eodem D. Augustini loco licet colligere, Judæos in Canone librum istum recepisse, quia non ait ipse D. Augustinus, non receperunt, sed tantum, non recepisse dicuntur. Ad quintum planè idem est, esse canonicam Scripturam, et computari in numero sacrarum Scripturarum. Nam quod in harum

numero est, id, dum sacræ Scripturæ numerantur, et ejus numeri pars est. Jam verò fatetur ipsi hæretici liberem D. Hieronymum epist. 110, per catalogum divinarum Scripturarum, intelligere numerum canonicarum, cum ait, « Hebræos Tobiam de catalogo divinarum Scripturarum secuisse. » Cum ergo idem Hieronymus epist. 111, in numero sanctorum Scripturarum computatum librum hunc ait, de vero earumdem catalogo cur non loquatur? Neque verò libros, quos apocryphos Hieronymus judicat, eos in Scripturarum numero esse usquam ait, licet benè quandoque dicat, cum Scripturis aut inter Scripturas legi. Elverò, etiam duo idem apud D. Hieronymum alibi valent, hic tamen nullo modo, quia disertim Judæorum sententiæ Nicænorum Patrum sententiam opponit. Ad Judæi, ut supra dictum est, hunc inter agiographos librum legebat, neque in sanctorum Scripturarum catalogo computabant; contra verò Nicæna synodus computat. Hoc enim, quæ à D. Hieronymo ponitur adversativa particula, sed, indicat, ad eò ut hanc etiam causam dicat, cur sepositis, quibus aretabatur maximis plurimisque occupationibus, acquiescat Chromati et Heliodoro, libri hujus translationem exigentibus. Viden, bene lector, quàm frustra, limpidum aliqui Nicæna auctoritatis rivum turbare lupus ille conetur? Duos tamen adhuc ei testes do, veterem unum, sed catholicum; recentem alterum, sed Wittakero ipsi concolorem. Prior est Rupertus loco citato: « Hæc duo, ait, volumina Tobiae, et Judith apud Hebræos non sunt in Canone, sed Nicæna synodi auctoritate ad instructionem venerunt sanctæ Ecclesiae. » Posterior est David Chytræus in Onomastico citato: « Librum, ait, Judith Chaldaico sermone scriptum à synodo Nicæna in numero sacrarum Litterarum computatum et à se versum esse, testatur Hieronymus tom. 4, fol. 9, D. »

2º Senis adhuc argumentis eadem canonica libri hujus auctoritas comprobatur, simulque D. Hieronymi sententia explicatur.

Primò igitur, vel duorum jam posteriorum ordinem potius tenendo, tertio probatur eadem libri hujus auctoritas, quòd alia etiam concilia, quæ in Tobia, prolegomeno 3, propositi 3 citat, eundem canonicum decernunt. Quartò, probatur ex pontificibus ibidem citatis. Quintò, ex Ecclesiæ usu, de quo ibidem. Nam in Scripturarum canonicarum or-

dicere legere illum illa conuevit; ut in hebdomada 4. septembr. Sexto, Patres in canonicis eum libris numerant, et tanquam canonicum citant, D. Augustinus de Doctrina christiana, lib. 2. c. 8, qui et de ipsa Judith duo sermones, scilicet 228 de Tempore, et 229, à quibusdam ascribuntur; ab aliis in Augustini appendicem transferuntur, et veteri culptam hunc scriptori tribuuntur, ut vel hinc testium nostrorum crescat numerus. Quia verò cum Tobia ille è doctrina christiana locus jam citatus, et in Machabais citandus rursum erit, cum hic semel lotum exseribam: « Totus, ait, Canon Scripturarum his libris continetur: quinque Moysis, id est, Genesi, Levitico, Numeris, Deuteronomio, et uno libro Jesu Chre, uno Judicum, uno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad regnorum principia videtur pertinere; deinde quatuor Regnorum, et duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi à latere adjunctis simulque pergentibus. Hæc est historia quæ exhibet annexa tempora continet, atque ordinem rerum. Sunt alia tanquam ex diverso ordine qua neque huic ordini, neque alter se connectuntur, sicut est Job et Tobias et Esther et Judith, et Machabeorum libri duo, et Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam, usque ad Regnorum, vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ; in quibus David unus liber Psalmorum; et Salomonis tres prophetiarum; Cantica canticorum et Ecclesiastes. » Cætera, quæ huc hæc pertinent omitto. Secundus Pater esto S. Isidorus Originum lib. 6, cap. 2, ubi præter canonicorum librorum ordinem tres, qui apud Judæos feruntur, ostendit esse in Ecclesia christiana partum, et in hoc esse Judith. Rursus lib. 7, cap. 8, eam inter prophetas collocat; et libro de Vita et Morte sanctorum, cap. 64; Rabanus lib. 5 de Insit. Cler. cap. 7, et lib. 5, de Universo, cap. 4, qui et in librum hunc scripsit commentarium. Tertullianus de Monogamia, cap. ultimo. Origenes in cap. ultimum Judicum. Nonnulli apud S. Hilarium Prologo in Psalmos, à quibus ipse non dissentit Clemens Strom. 4, cap. 6, sub finem. Chrysostomus lib. 4 Variis in Matthæum, hom. 9; D. Ambrosius lib. 5 Ocliorum, cap. 15, epist. 82; et libro de Vidais. Prudentius in Psychoniaciâ predictæ et libidinis. S. Fulgentius epistola 2 de statu viduarum in veteri Testamento, librum istum collocat, et tanquam divinæ Scripturæ

testimonium adducit laudatissimus sancti hujus discipulus Ferrandus Carthagenensis libro ad Regnum de re militari; regula prima. Julius Africanus, de partibus divinæ legis, lib. 4, fatetur ad divinam historiam pertinere, et licet non pari cum aliis auctoritate inter canonicas Scripturas ex Hebræorum sententia dicat, ejusdem tamen ordinis esse vult cum Paralipomenis; et Job; et Esdræ. Jam verò Paralipomena, Job et Esdras nonne canonicæ? Cassiodorus divinarum Lectionum cap. 6, et ibidem Bellator apud eundem, Alcimus ad saronem. Chromatius (quem D. Hieronymus præfatione in Paralipomena, temporis illius doctissimum et sanctissimum dicit) in cap. 6 Matthæi. S. Paulinus Natali 40, picturas, quæ in religioso admodum templo visabantur; describens, prout etiam Tobias ultimo audivimus, uno ita cænit versute: *sancti hinc non Ast aliam (picturam scilicet) seculi minor obtinet incluta Judith.* Solipitius in Historia vocat *sacrum volumen, historiarum sacras; divinas*, Alredus in Historia S. Edwardi regis Anglorum; Otto Frisingensis in Prologo lib. 8: « Deficit me, ait, tempus, et enarrantem, si universas sacræ Scripturæ paginas, utpotè Ruth; Judith, Esdræ; Machabeorum percurrere velim; qui mystico sensu et delicta sapientia sunt gravidi; Ethiopia etiam Ecclesia eundem recipit et legit, prout lib. 7 de Emendatione temporum tradit Seallger; de quo infra. Sanctus etiam Hieronymus, cui ultimum ideò locum reservavi, eum; ante præceptam concilii Nicæni sententiam; in opinione contraria fuerit; posteaquam illam didicit; hunc pro canonico prosum librum habuit, adè ut citra dubitationem illam; ejusmodi olim epistola 2 et in Aggai cap. 1; adhibuerat; ipsam Judith imitandam jam omnibus hæc in præfatione proponat; eoque præfatio; post cæteras penè omnes veteris Testamenti præfationes, scripta; ut ideò in illius Epistolis ordinem libro; ejus præfatio est; convenientem habeat; non tempori; quo scripta est; Sed in eadem tamen præfatione duo esse argumenta; inquit Wittakerus; et quibus huic librum non esse canonicum probare velit Hieronymus est. Unum est, quia apud Hebræos apocryphus est. Verum jam dixi; ipsam Judæis opponere Nicænos Patres, hisque potius suffragari. Alterum: Chaldaeo sermone scriptus fuit liber, et ejus exemplaria valde vitiosa: Quid inde? Idcirco scilicet è Chaldaeo illa se correxisse pro-

fitetur, et nomine aliorum canonicorum librorum vitiosa eidem exemplaria, idem crebrò inculcat epist. 407, 408 et 409? Et in Isaiæ cap. 14; prophetiam per librum istum exponit: « Potest, ait, et in Assueri temporibus intelligi, quoniam cæcis Holoferne, hostilis ab Israël cæsus est exercitus. » Absque omni verò ambage idem sanctus epistola 140: Ruth; ait, et Esther, et Judith; tanta gloriæ sunt; ut sacris voluminibus nominâ indiderint. Sed jam auctoritati libri hujus probandæ argumentum septimum sit, quod novi isti comedi, fabulæ suæ ne unum quidem auctorem laudare possunt, eamque fabulam non solum quo adduxi Patres explodunt, sed ipsi etiam Judæi, qui, ut supra dictum est, historiam censuerunt. Nec desunt, qui ipsum historici nomen, quod ab his detrahitur, expressè usurpent, ut D. Hieronymus hæc præfatione, et epist. 9 Chromatis; et Isidorus locis citatis. Sunt hæc D. Hieronymi Epistola illa 9 ad Salvinam verba: « In priora te excedas, habens tui ordinis, quas sequaris; et Judith de Hebræa historia; et Annam filiam Phanelus de Evangelii charitate, qua diebus et noctibus versabantur in templo, et orationibus atque jejunis thesaurum pudicitia conservabant. » È quibus verbis intelligi et illud potest, cur pudicitia hostes comœdiarum hæc quam historiam malint. Attamen ipsum etiam totum historicæ narrationis flumem, tota rerum series et connexio, ipsum denique libri hujus de Judith vitâ, processu, mortis, dieque festo extrenum, historiam esse clamât. Nunquid enim festus apud Hebræos, in tragœdiæ fictæ memoriam dies agretur? Octavum argumentum est, quod hereticorum, contra tanti concilii et tot veterum auctoritatem, argumenta, et pauca; et infirma sunt.

3^o Hereticorum contra Judith argumenta ponuntur, et solvantur.

Primum est, quod sit temporis explicatio difficilis. Hoc enim Lutherus, in sua Præfatione, præcipuum sibi telum esse fatetur (1).

(1) Cette histoire, dit Voltaire, est pleine de contradictions inconciliables; car tantôt è la scène est sous Nabuchodonosor, tantôt après la captivité. Cela est incontestable pour ceux qui ne savent pas qu'il y a eu plusieurs transmigrations différentes des Israélites, et plusieurs rois d'Assyrie qui ont porté le nom de Nabuchodonosor; mais quand on sait que les Juifs, à commencer sous le règne de Manassés, ont souffert quatre déportations différentes de la part des

Secundum; Bethulie urbs nusquam nota, Lutherus ibidem. Tertium, Wittakeri et Junii. Hanc historiam non attingit Josephus. Quartum, nomina poemati apta sunt. Quintum, monarches assyriens, on n'est pas embarrassé à concilier l'histoire de Judith. Elle arriva en la dixième année de Manassés, roi de Juda, qui avait été fait prisonnier avec une partie de ses troupes, par les généraux d'un roi d'Assyrie, que le livre de Judith nomme Nabuchodonosor; c'était lui qui avait vaincu et tué Artaxhad, roi des Mèdes, lorsque celui-ci, fier de ses conquêtes, conduisit son armée contre Ninive; et tel fut précisément le sort que Pharaon, roi des Mèdes, eut près de Ninive, selon Hérodote; lorsqu'il voulut conquérir cette ville sur les Assyriens qui y régnaient. Ainsi le récit du livre de Judith s'accorde également avec celui d'Hérodote et avec celui des Paralipomènes.

Les incertitudes de nos jours font grand bruit sur les difficultés de chronologie que renferme l'histoire sainte; ils ne veulent pas faire attention que, sans un miracle continuel, la chose ne pouvait pas arriver autrement. Les lettres hébraïques et les caractères samaritains qui désignent les nombres se ressemblent beaucoup, et il est fort aisé de les confondre. A moins que les copistes n'aient été toujours singulièrement attentifs, il a été moralement impossible qu'ils ne se soient pas trompés quelquefois. Les noms de nombres ne sont pas aussi réguliers, ni d'une construction aussi facile en hébreu que dans nos langues; il a pu s'y glisser aisément de la confusion. Nous trouvons les mêmes embarras pour concilier la chronologie d'Hérodote, de Xénophon, de Diodore de Sicile; nous ne doutons pas, pour cela, du fond de leurs histoires; pourquoi donc, quand il s'agit de livres infiniment plus anciens, chicanes-on sur la moindre difficulté de chronologie? Nos philosophes, si pointilleux sur les annales des Hébreux, ne rougissent point de nous opposer le chaos inintelligible de la chronologie chinoise.

« Mais, disent-ils, des livres divinement inspirés ont dû être divinement copiés. » Sans doute Dieu n'a pu permettre qu'il s'y glissât des erreurs, quant à ce qui regarde le dogme et la morale, mais il n'est point impossible de nécessaire au salut que les hommes soient préservés de toute erreur dans la chronologie. Cet objet est très-curieux, mais on peut en laisser la discussion aux critiques et aux savants sans inconvénient. Revenons à l'authenticité du livre de Judith.

Du temps d'Origène, les Juifs l'avaient en hébreu, ou plutôt en Chaldéen, et, selon saint Jérôme, ils plaçaient ce livre au rang des apocryphes. Saint Clément, pape, a cité l'histoire de Judith, dans sa première épître aux Corinthiens, de même que l'auteur des Constitutions apostoliques. Saint Clément d'Alexandrie, Origène, Tertullien, saint Ambroise, saint Jérôme, en font mention. L'auteur de la Synopse attribuée à saint Albanense en a donné le précis comme des autres livres sacrés. Saint Augustin, le pape Innocent I,

auctoritas D. Hieronymi, Athanasii et Rufini supra citati, et addi è recentioribus possunt Carthusianus et Cajetanus sub finem Esther. Ad primum, postea, c. 1. Tantùm hic observandum, si ob difficiliorem temporis calculum, historiam negare liceret, futurum profectò ut omnium penè divinatorum librorum labefactaretur auctoritas. Quanta enim chronologia in omnibus difficultas? Nòrunt eruditi inter quos, vel ob hoc solum argumentum, numerari à Chytræo Lutherus non debuit. Ad secundum, Elias in Tisbi eodem modo contra Christum Dominum argumentatur, dicens, Nazareth nusquam esse. Ubi verò Bethulia sit, dicam postea, cap. 6. Ad tertium, non attigit Josephus, sed nec rejectit. Auctores interdum quippiam omittunt, aliumque in locum reservant, quemadmodum pulcherrimam de Oniâ historiam non in Antiquitatibus, sed in Bello. de ratione idem Josephus exposuit, uti etiam hæreticorum gregalis notat Reineccius. Et verò lib. 10, c. 3, de iis quæ ad Assyriorum et Medorum imperium spectarent, alibi se dicturum idem Josephus pollicitus est. Quid quòd nobilissimam, verissimam, à prophetis Apostolisque testatissimam Job historiam, idem Josephus ne verbulo quidem uno unquam attigit? Ad quartum, dixi in Tobia prolegom. 5, argum. hæret. 4 (1). Ad

dans sa lettre à Exupère; le pape Gélase, dans le concile de Rome; saint Fulgence, etc., reçoivent ce livre comme canonique. Il a été déclaré tel par le concile de Trente. Saint Jérôme dit que le concile de Nicée le comptait déjà entre les écritures divines. Ainsi, quoi qu'il en soit dans les pièces qui nous restent de ce concile on ne trouve aucune définition sur ce point, nous ne devons pas douter que saint Jérôme n'eût des preuves de ce fait. Origène atteste que de son temps on le lisait aux catéchumènes. (Duelot.)

(1) Quæ in libro Judith narrantur, commentitia, meramque parabolam asserere, impium, temerarium et hæreticum est. — Probatum veterum testimonio ab apostolicis temporibus, qui Juditham ceu heroinam sanctissimam celebrârunt, et christianis viduis in exemplum proposuerunt; et ex libro Judith seu sacrâ Scripturâ testimonia deprompserunt, tum etiam ex Ecclesiæ judicio, quæ ipsum canonicum esse ac divinum pronuntiavit.

Illud in primis S. Pauli Epistolæ 1 ad Corinthios cap. 10, 9, 10: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et à serpentibus perierunt: neque murmuraveritis, sicut quidam eorum, et perierunt ab exterminatore; illud, inquam, ex libro Judith 8, 24, 25, depromptum est, ubi legitur: Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, et impatientiam suam, et improprium mur-*

quintum, quia, ut sub quarti hujus prolegomeni initium dicebam, citat D. Hieronymus Ecclesiam, respondet Catharinus, ab Hieronymo *Ecclesiæ* nomen pro plebe, seu inferioribus accipi, ut Actorum 20, non pro episcopis aut doctoribus, ut Matth. 28, accipitur. At nùm è vulgo D. ipse Hieronymus? D. Athanasius? Rectius Sixtus Senensis lib. 8 Bibliothecæ, de illius temporis Ecclesiâ, quo dubitare de libro isto licebat, loqui S. Hieronymum respondet, ante scilicet concilium Nicænum, vel certè post idem concilium, prout quidem ipse Hieronymus existimabat, antequàm illud, ut supra dixi, legisset, quemadmodum divus Augustinus de suâ ipsius ordinatione, jam ordinatus ex eodem concilio didicit, quod antea nesciebat, ut scribit ipsemet epist. 110, et de eo Possidius c. 8 Vitæ. De S. Athanasii Synopsi, ejusne sit, à quibusdam dubitatur; si tamen ejus est, ante Nicænum concilium scripta videtur, uti de Laodicæno concilio dictum. Rufinus in pluribus erravit, ut ostendit D. Hieronymus lib. contra ipsum. Recentiores illi minùs à posteriori D. Hieronymi sententiam attenderunt, quemadmodum ipse scilicet Hieronymus initio Nicæne synodi judicium minùs perspexisset. Adjiciam ex citatâ Lutheri Præfatione argumentum, si tamen hoc nomine dignum est, unicum. *Judith gesta, è probatis, ait, certisque historiis probari non possunt. Quomodò ergò vera? Responderi posset ex iis quæ de Josepho paulò ante dicta sunt. Sed à Luthero quæro è quibusnam probatis historiis probari hanc vellet? sacris, an profanis? si è sacris, non erit Ruth, non Esther, non magnâ ex parte Judicum liber canonicus. Nam et historiæ, quibus ex historiis canonicis probantur? Si è profanis, par adhuc ratio. Profanorum enim scriptorum, quis Josue, Othonielis, Gedeonis, aliorumque judicum, et Ruth, et Saülis et simillium meminit? Perineptè igitur hoc ipsum ab illo exigetur. Aptissimè siquidem cum ad alia, tum ad hoc ipsum, quod in manibus est, D. Hieronymus in Ezech. c. 26: « Probare, inquit, possumus multa dici in Scripturis*

murationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, et à serpentibus perierunt. Ozia verba ad Juditham: Benedicta es tu, filia, à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram. Elisabetha Spiritu sancto afflata imitata est, eum ad virginem Mariam Christi Domini ac Dei nostri Matrem ait: Benedicta tu inter mulieres.

(Natalis Alexander.)

« facta, quæ in Græcis voluminibus non inveniantur: nec debere nos eorum auctoritati acquiescere, quorum perfidiam et mendacia detestamur. » Et de hæc ipsâ historiâ Sulpitius, quasi ante oculos ipsum jam Lutherum videret: « Cæterum, ait, illud nemini mirum esse oportebit, quòd scriptores secularium litterarum nihil ex his quæ sacris voluminibus scripta sunt, attigerunt, Dei Spiritu prævalente. »

PROLEGOMENON V.

Quænam utilitas.

D. Hieronymus Præfatione in Sophoniam: « Judith, ait, et Esther, in typo Ecclesiæ et occiderunt adversarios, et peritulum Israel de periculo liberârunt. » Dùm verò hunc in librum præfatur: « Accipite, ait, Judith viduam, castitatis exemplum, et triumphali laude perpetuis eam præconiis declarate. Hanc enim non solum feminis, sed et viris imitabilem dedit, qui castitatis ejus remunerator virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret, et insuperabilem superaret. » Sed in Germanicâ libri hujus Præfatione, Lutherum sibi ipsi penè repugnantem audiamus: « Est, ait, liber pulcher, bonus, sanctus, utilis à nobis Christianis benè legendus. Verba enim, quæ hic personæ loquuntur, intelligenda sunt tanquam quæ loquatur sanctus poeta vel propheta ex Spiritu sancto, qui ejusmodi personas in theatro suo proponit, per easque nobis concionatur. » Et in principio: « Si Judith gesta possent è probatis certisque historiis probari, liber sanè esset nobilis, et dignus qui in Bibliis esse deberet. » At hoc in sacrorum librorum nobilitate necessarium haud esse jam dictum est. Si tamen qui librum laudent, boni auctores requiruntur, an superiori prolegomeno parùm multi, parùmque nobiles allati (1)?

(1) In Judithâ Deiparæ Virginis typum Deus exhibuit, quæ spiritualem Holofernem salutis nostræ hostem infensissimum profligat, et tartareas fugat legiones, quæ ab omni peccato immunis fuit, quæ præ omnibus mulieribus benedicta, cujus laudes sancti Christianique omnes celebrant. Cui longè excellentius quam

PROLEGOMENON VI.

Quinam interpretes.

Scrripsit in hunc librum olim 7 libros Bellator antea citatus. Hodiè præter Lyranum, Hugonem, et Carthusianum, unus paulò vetustior superest, Rabanus, qui ad Juditham imperatoris Ludovici conjugem, allegoricam expositionem scripsit. Tropologiam persecutus est more suo Petrus Bertorius lib. 18 Mortalitatum. Extat Gerardi Lorichii Epitome, et, apud Gesnerum Jacobi cujusdam Zilegri Landavi mihi nondùm visa Expositio.

PROLEGOMENON VII.

Quis libri hujus ad Biblicos alios ordo, et quæ partitio?

Athanasiana Synopsis, D. Augustinus lib. 2 de Doctrinâ Christianâ, c. 8, Cassiodorus divin. Lect. c. 6, alii librum hunc Estheris libro subjungunt. Sed Tobiam inter et Estherem rectè in Bibliis nostris collocari, temporis disputationes partim in Tobia jam habitæ, partim in hoc et Esthere habendæ commonstrabunt. Senensis verò, lib. 1, ait, Græcos in 60 capita librum hunc dividere. Latini 16 habent, Rabanus 22. Ego tres in partes partior: prima Judæorum periculum proponit, usque ad cap. 8; secunda, liberationem, à cap. 8 usque ad vers. 9, c. 15; tertia, quæ liberationem hanc secuta sunt.

Judithæ convenit quod sancta illa heroina de seipsâ dixit: *Non permisit me Dominus ancillam suam coquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoriâ suâ, in evasione meâ, et in liberatione vestrâ. Cui meliori jure quam Judithæ ab hominibus universis Deum adorantibus dici debeat: Benedicti te Dominus in virtute suâ, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.... Benedicta es tu, filia, à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram.... Benedictus Dominus, qui creavit cælum et terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum; quia hodiè nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum.... Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente que audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel.... Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.*

(Natalis Alexander.)